Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1415
Quelle:
Copyright:

IX. *fol.* 217. absque Titulo: *Andreae de Escobar* O. S. B. Episcopi tunc *Megarensis Gubernaculum Conciliorum*, quod incipit: *Ad perpetuam conciliorum generalium memoriam ac ipsorum reformationum fiendarum* &c. et editum est ex *Cod. Helmstad.* a quodam Monasterii *Mellicensis* in *Austria* Professo *Basileae* descripto per *Hermannum von der Hardt* T. VI. *Concil. Const.* p. 139. Alterius *Cod. Vaticani* meminit *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat.* L. I. ubi de Autore *Andrea* loquitur. Sed et noster Codex *Basileae* lucem vidit; ita enim subscribitur: *Scriptum Basilee tempore concilij generalis ibidem celebrati Anno verbi incarnati Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Sexto. A natiuitate vero christi Anno &c. 37. XXVII. Marcij.*

X. *fol.* 262. *Collecta quedam de modo persoluendi septem horas Canonicas.* Incipiunt: *Septies in die laudem dixi tibi, ut in Ps. 118. Quamuis enim Deus omni tempore sit a nobis laudandus* &c. *Henrici de Langenstein* dicti *de Hassia* Opusculum esse tradit *Trithemius*, et Codex *Mellicens.* inscriptus: *Tractatus de Passione Domini per septem horas Canonicas.* Vide tamen, quae de eodem ad Cod. DLXXX. dicturi sumus. Lucem, ut puto, nunquam vidit, et nobis subjuncta habet barbara quaedam *carmina* de Horarum Canon. recitatione, quae incipiunt:

Sincopa percursus vaga mens erronea verba
Horas dicendo sunt ut fulgur fugienda &c.

CCCLXVIII.

309 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 279. f. probe scriptus continet *Pauli de S. Maria* e Judaeo Christiani et Episcopi *Burgensis Scrutinium Scripturarum.* Folium *primum* deperiit, ideoque initium est ab his *Prooemii* verbis: *hec ille, que quidem obumbraciones et apparentes contradictiones* &c. Cum de vasto hoc Opere jam ad *Cod.* praeced. sermo fuerit, non nisi clausulam praesentis Exempli adtexam. *Explicit dialogus qui scrutinium dicitur scripturarum compositus per Reuerendissimum patrem dominum paulum de sancta Maria sacre Theologie eximium professorem Ac burgen. episcopum et finiuit eum postquam compleuit additiones super nicolaum de lira Anno domini 1434 Anno etatis sue 81.* Additum alia manu: *Fuit eciam prefatus Reverendissimus dominus paulus Episcopus Serenissimi Regis Castelle et legionis Archicancellarius, ex Judaico genere natus, Et postquam Hebraicos doctores et scripturas plene nouerat in prouecta etate christianus effectus hunc dialogum post additiones suas ad postillas magistri Nicolai de lira super vtrumque testamentum anno supradicto composuit et perfecit.*

In